HUGO DE SANCTO VICTORE
Admont, 2. Hälfte 12. Jh.
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26898
Copyright: Admont, Benediktinerstift



siti sint secretis uenandis digna uelamina. ingredientibus tn reuela
ta facie ad contemplationem que intrinsecus sunt in libertate spc. e medio sunt tol
lenda. ad pandenda mysteria. Hoc ergo nunc suscipimus et hoc satis est nobis
in his que dicemus. nam ex reliquo siquid adiectum fuerit. ex superhabundan
ti sit dono. Quid sit ierarchia et dispositionis illius ratio. et ex ordine.

Ierarchia ex greco interpretatur. sacer sonat principatus.
Et sunt ierarchie. i. sacri principatus tres. quas dicemus. ut supra com
memorauimus. Prima et summa ierarchia est potestas diuinita
tis. Secunda et media ierarchia. est potestas angelica. ad simili
tudinem potestatis facta. et sub prima constituta potestate. prime
Tercia et ultima. est potestas humana. ad similitudinem an
gelice facta. et sub ea constituta. et per mediam eam. sub prima et summa.
His ierarchiis. i. sacris principatibus. totus regitur mundus. in quibus summa
potestas que imperat tantum. et infima cui tantum imperatur. et media que imperat
inferiori. cui imperatur a superiori. Summa ergo potestas et prima. Secundam
et terciam potestatem per se constituit in angelis et hominibus. ut ei et conformes
essent uirtutis participatione et cooperatricis consortio potestatis. Et
diuisit dona uirtutum. et secundum diuisiones donorum distribuit officia
potestatum. et dedit dona plurima. et multas potestates constituit.
et omnia dona de uno. et omnis potestas sub una. et unum in omnibus. et
omnia ad unum in uno. Angelicam uero ierarchiam. primo demonstrat
theologus. secundo tractat de humana. tercio quasi in fine et consumatione.
de diuina et summa. Ipsam autem angelicam in tres subdiuidit ierarchias.
et unam quamque tantum. per tres ordines distinguit. ut. viiii. angelorum ordi
num numerus compleatur. et omnem ierarchiam unius potestatis. unius officii.
et unius dignitatis. et in una quaque ierarchia. et primos constituit et medi
os et ultimos ordines. Et primos quidem illuminare. ultimos uero illu
minari. medios uero et illuminari a primis. et ultimos illuminare.

que tn
ante rui
nam dna
batur
piscibus ma
ris. et aliis